DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
PERTUSSI,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI
PRAESIDIS AC DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI
DECANI
NEC NON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

ALOYSIUS KOENIG,
BOHEMUS REICHENBERGENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 17. Mensis Januarii Anni MDCCCXXIX.

VINDOBONAE.
TYPIS VIDUAE ANTONII STRAUSS.

MDCCCXXIX.

AMICO FIDELI

EMMANUELI KITTEL

VIRO HUMANITATE INSIGNI

HASCE PAGELLAS

IN PIUM AMICITIAE MONUMENTUM

DICATAS ESSE VULT

AUCTOR.

Definitio et denominatio morbi.

Tussis sui generis contagiosa, epidemice plerumque infantes, rarius adultos infestans, signata violenti ac repetita expiratione, inspiratione protracta angente, constringente, suffocationem minante atque peculiarem acutum ejulantemque sonum edente intercepta, per paroxismos brevi durantes rediens ac ructibus muci spumosi, vel vomitu ipso terminanda *pertussis* vocatur.

Multa variaque huic morbo a scriptoribus nomina impertita sunt, e quibus *tussis convulsiva, spasmodica; bronchitis epidemica* naturam morbi ab una nonnisi parte, imo, ut *tussis stomachica* inepte designant adque minus circumspectum antispasmodicorum, antiphlogisticorum aut emeticorum usum facile invitant, tussis *amphimerina, amphimerina tussicula, tussis quartana, t. quintana, t. quinta* diversa exacerbationum tempora in epidemiis variis observata respiciunt; *t. ferina, clangosa, asinina, canina* sonum sub inspiratione protracta percipiendum haud ubique apte significant; *t. strangulatoria, infanticida* periculum, voce pro casibus plurimis nimis minaci praesagiunt; *t. cocularis* Gallicum *Coque luche* interpretatur, *pertussis* rebellem morbi diuturnitatem, in casibus vix non singulis observandam, spectans nomenque late notum, nec ad ideas seducens erroneas *praeplacuit.* Gallis vocatur *Coqueluche, toux quin-*

teuse, architoux des enfans; Italis *pertosse, tosse fiera, asinina, canina, convulsiva, mal del castrone.* Anglis *Chin-cough, Kink-cough, Hooping-cough, Whooping-cough;* Germanis Keichhusten, Stickhusten, Kickhusten, Krampfhusten, Brechhusten, Blauerhusten, Schafhusten, Eselshusten.

Notio historica.

Hujus morbi originem revelare ingeniosissimis scrutatoribus nondum successit. Quum atmosphaericis oriatur influxibus, quum et veteres sub nominibus *κοπιώδης*, *θηριώδης*, *πνιγμώδης* vehementes descripserint tusses, verosimilius videtur, pertussim ab aliis morbis, tussi saeva stipatis nondum debite destinctam, quam penitus ignotam fuisse. Certiora istius prima vestigia ex seculo XV. repetimus, quo (1414) in Gallia epidemice regnans latas parvulorum edidit strages. Aliam epidemiam (1570) per totam Galliam grassantem, adultos haud minus ac infantes copiose jugulantem Franciscus Variola tradit. Ex eo tempore omnes Europae provincias indeterminatis intervallis pervagata terruit parentes, trucidavit natos. Quo vero latius imperium extenderet, eo ardentius medicorum studium, terribili huic nepotum hosti tela eripiendi, evigilavit. Non enim permulti solum, sed et expertissimi de hoc morbo scripserunt: Salius Diversus [1], Mercurialis [2], Albertus [3], Hoffmann [4], Butter [5], Werlhof [6], Huxham [7], Holdefreund [8],

---

[1] De febr. pestil. Frcf. 1586. [2] De pueror. morb. L. II. [3] Dissert. de tussi infant. epid. Hal. 1728. [4] Diss. de tussi convuls. Hal. 1732. [5] Abhandlung v. Keichhusten a. d. Engl. von J. C. Fr. Scherf. Stendal, 1782. 8. [6] Op. III. p. 690. [7] Op. I—III. [8] Vom epid. Stick-

Hasler [9], Danz [10], Baldamus [11], Stoll [12], Jahn [13], Autenrieth [14], Marcus [15], Hufeland [16], Henke [17], Haase [18], e. m. al.

Morbi decursus, duratio et diagnosis.

Pertussis, si in decursu suo rite observatur, symptomata offert, characterem sibi lateralem variare manifestantia. Hinc, ut olim, *tria* illius *stadia*, termine vix observato in se transeuntia *distinguuntur: primum catarrhale* (invasionis, eruptionis); *secundum convulsivum* (nervosum, acmes); *tertium expectorationis, criseos* (declinationis, decrementi). Sub *stadio primo* morbus tussi catarrhosae simplici persimilis instans vix prodit periculum. Incipiunt nimirum aegrotuli tussi vexari frequenti (decies-vigesies per diem recurrente) brevi, sicca, clangosa, facili tamen, titilationis sensu, quandoque dolore leni pungente sub sterno juncta, quae *vesperi, mane* et *tertia* plerumque *quavis die* exasperatur. Haud raro levis oppressio pectoris, raucedo accedunt. Oculi obiter rubentes, lacrimantes aegre ferunt lucem, nares siccae, obstipae sternutant frequentius, aut fluidum stillant aquosum, adpetitus prostratus, somnus inquietus, animus saepe per diem vix mutatus, vesperi vero et plerumque morosus, mutabilis offeruntur. Pari

---

husten der Kinder. Helmst. 1776. [9] Abh. über den Keichhusten. Landsh. 1789. [10] Versuch einer allgemeinen Geschichte des Keichhusten. Marb. 1791. [11] Der Stickhusten. Hal. 1805. [12] Diss. de tussi convuls. Würceb. 1805. [13] Über den Keichhusten. Rudolst. 1808. [14] Vers. f. d. prakt. Heilkunde. Tübingen, 1807. 1. B. 1. H. [15] Der Keichhusten, über seine Erkenntniß, Natur und Behandlung. Leipz. 1816. [16] In dessen Bemerkungen ü. d. Blattern. 2te Ausg. [17] Erkenntniß und Heilung der Kinderkrankh. Frkf. am Mayn, 1820. [18] Über die Erkenntniß u. Natur chr. Krankheiten rc. 2. Band. Leipz. 180.

passu febris procedit associata, manifestans se horripilationibus calore modico fugaci alternantibus, pulsu frequenti, duriusculo, pleno, haud raro parvo, cephalaea, siti aucta. Febris hujus exacerbationes, sudore, praecipue ad caput terminandae, eodem recurrunt tempore ac illae tussis, remissiones vero adeo luculentae intercedunt, ut typus febris haud paucis intermittens putaretur. Gradus febris mitis plerumque, verum sub epidemiis fervidioribus, favente genio morborum regnante, et in subjectis irritabilibus, plethoricis intensior est visus. — *Duratio* hujus stadii varia, a 3—4 diebus ad 1—3 imo 4 septimanas extenditur. Finiente hoc minus certo temporis spatio febris absque manifesta crisi recedit, tussis et vehementia et frequentia increscit, donec mutatis symptomatibus peculiarem palam facit morbi characterem. Hic limes ad *stadium secundum*.

Praegressis nunc singulari atque ingrato titilationis aut pressionis sensu ad scrobiculum cordis, sive bronchos, tracheam, laringem percipiendo et anxietate, quae parvulos fulcra prehendere, pectus, praecipue si fulcra desiderantur, pronare, decumbentes repente exsilire cogit, ingruit tussis exspiratione violenti, citata, frequentius repetita, quam inspiratio excipit profunda, laboriosa, rauca, ejulans, insequuntur expirationes descriptae, haecque scena bis, ter — 6—8 usque inter minutum primum 1—3 alternatim redit, donec expectoratione muci parci spumosi aut adeo tenacis, ut ex ore pendens digito immisso, ne inspiratione retrahatur, exsumi debeat, sive hujus aut ciborum vomitu, sive sternutatione finitur paroxismus. Quem aër sub

inspiratione per glottidem et tracheam spastice contractas in pulmones exspirationibus aëre fere vacuatas irruens edit, sonus cum asini gallive voce vix comparandus adeo peculiaris est, ut semel auditus vix unquam amplius fallat. Vehementia horum insultuum varia. Sub vehementi, anxietate extrema et suffocationis periculo stipato paroxismo totum concutitur corpus, facies turget ac profunde rubet, turgent illius venae, oculi rubentes protuberant et lacrimantur, labia livent, frons sudore tegitur frigido, pulsus suppressus, inaequalis, intermittens, tremulus durusque frequenter tangitur, extremitates frigent, urina, flatus et alvus involuntarie expelluntur, circuitu sanguinis impedito hocque ad caput congesto ex naribus, ore, pulmonibus, auribus cruor evacuatur, imo oculorum albuginea et palpebrae eodem suffusa quandoque adparent. Sub insultu validissimo totum convellitur corpus, concidit aeger, accedit asthma cum suspensis pro tempore tussi et respiratione, quod, rarius tamen, in suffocationem aut syncopen transit. Finito tandem post $\frac{1}{2}$, 6—10 minuta prima paroxismo aegrotuli delassati per breve tempus adhuc lacrimantur, suffulciunt caput velut dormituri, gravantur cephalaea, respirant difficilius ociusque, donec, disparentibus mox versus caput pectoraque congestionis symptomatibus, pacati potum cibumque, praecipue si insultus vomitu terminantur, desiderant adque consueta redeunt crepundia. Interea tamen animo subodioso, ad lites flexili, moroso auctam ostendunt sensilitatem. — Hi insultus sub hujus stadii initio rarius de die, mane plerumque, post pastum ac vesperi, serius omni 5ta, 6ta,

sub acme quavis aut omni dimidia hora redeunt, cujus reditus typus, si adeo regularis laudatur, ut temporis punctum futurae invasionis praedici possit (J. Frank), de casibus singulis et fors rarissimis hoc valere visum est. Quamvis enim vel leves diaetae et regiminis errores, cibus aut potus avide deglutiti, refrigerium, fumus et vapores, corporis et animi motus, risus, fletus, terror (de lapsu, minaci vultu etc.) ira imo alius tussientis adspectus insultus quovis sub temporis momento provocare valeant et saepissime sane provocent, his omnibus feliciter evitatis adeo irregulari et indeterminato recurrunt tempore, ut Henke affirmet: „Eine strenge Regelmäßigkeit in dem Eintritte der Anfälle finde nie Statt“ et Girtaner: „Die Anfälle des Hustens halten keine bestimmte Zeit.“ Longe plurimis vero casibus observatum est, qui mane, post prandium et vesperi frequentius audiuntur insultus et tertia quavis die validiores adparere, quod quidem non in scrofulosis solum aut rachiticis subjectis et male tractatis, sed in alias sanissimis et nullis, nisi fere indifferentibus remediis palliativis (potu Altheae, sacharo lactis, pediluviis) tractatis valet. Hunc typum in casibus aliis non tertianum, sed quartanum aut quintanum fuisse visum tradunt, hinc et nomina tussis quartana etc. Sic et nos in puero scrofuloso, in clinico nostro pertussi feliciter sanato, typum morbi potius quartanum observavimus.

In infantibus alias sanis, robustis praeter expositas, vix aliae excitantur sanitatis turbae, in debilioribus vero, tenerioribus atque irritabilioribus haud secus sub morbo vehementiori, ut in epidemiis nonnullis observatur, febris denuo evolvitur nocte et ter-

tia quavis die exacerbanda, accedunt aegrotuli pallor, aucta lassitudo, animus dejectus, morosus, inquietus, anxius, appetitus nimius, sitis intensa, alvus modo obstipa, modo laxa junctaque tenesmo, somnus absque requie; respiratio difficilis, tussis chronica, pulsus parvus, debilis, irregularis, digestionis et nutritionis vitia, macies, marasmus aliaque multa et dubia mala secundaria, sub prognosi nominanda.

Protrahitur stadium hoc in varium tempus, a 14 diebus, quod brevissimum hucusque visum, ad 3—4 septimanas, quod consuetum, immo in menses, annum et ultra usque extendendum, quod tamen rarum, et quo in casu aliae membrorum formae pertussim matrem concomitantur, nisi prius aegrotulum emaciatum sub convulsionibus mors abjugaverit.

Faustis vero sub circumstantiis morbus mitior sibi relictus, ut in pauperculis saepe observandum, dum attigit acmen, haemorrhagiis et emesi evanitis, tussis rarior redit, intervallis nimirum a 5—6 horas protensis, levior, cum inspiratione faciliori minus ejulante, exspirationibus mucum magis solutum, globosum, spissum, ex flavo viridescentem expellentibus, atque symptomatibus cunctis eadem ratione, qua sub stadio catarrhali sensim evolvebantur, lenta pede recedentibus morbus in *stadium tertium* transit. — Sub hoc nimirum tussis, inspiratione profunda anhelante destituta, excepta magna in convulsivum statum proclivitate, tussi terminandae catarrhali similis, sub levante sudore universali ad finem decrescit, regressis interea appetitu, requie, viribus, alvo regulari, respiratione libera.

Duratio et hujus stadii varia ab 8 diebus ad hebdomades mensesve ita, ut totus morbus raro ante 9—10 septimanas, saepius post menses demum faustum attingat terminum, nisi per quoscunque diaetae aut regiminis errores prope metam recidivarit, aut vehementior tristem et universalium et topicorum malorum seriem reliquerit.

Diagnosis morbi descripti initio difficilis est, catarrhi enim simplicis emulus in parvulis dentitioni saepe adscriptus, in adultioribus negligitur sicque nonnullis visum est, pertussim quandoque absque praegresso stadio catarrhali invasisse. Hinc regnante in vicinia epidemia vel levissimo parvulorum catarrho sua detur attentio, eoque magis, quo minus antea pertussi expositi erant, quo minus praeter contagionem alia invenitur causa catarrhi. Stadio vero primo ad finem vergente tussis voce solito altiore, clangosa, rauca et therapiae omni pertinaciter resistente constantia, malum futurum expertis sat manifeste indicat. Sub stadio secundo propria tussis forma sonusque peculiaris sub inspiratione longa percipiendus, vel semel audita vix unquam fallent. Est vero morbus *simplex* aut *compositus* aut *complicatus*, *substantivus*, *symptomaticus*, qualis febri intermittenti, f. lentae, haemoptisi, morbillis, variolis, pneumoniis quandoque accedit. *Simplex*, qualis in individuis bene constitutis alias sanis, sub epidemia atque constitutione annua alio charactere laterali destituto observari solet, stadia sua rite absolvit, infansque, praecipue sub induciis observatus, praeter pertussim nullius alieni morbi indicia manifestat. In subjectis robustis, plethonicis, fa-

vente constitutione annua et epidemica, serius regiminis aut tractaminis perversi culpa componitur vel *complicatur* pertussis *affectionibus inflammatoriis* organorum praecipue respirantium, eoque facilius, quo magis diathesis scrofulosa evoluta, tubercula pulmonum, aut horum per praegressos morbillos receptivitas aucta existunt. Haec complicatio haud ubique facilis est distinctu, difficilis, si brevia nonnisi intervalla observationi conceduntur. Est tamen et libero tempore febris continua, calor altior, sitis intensior, pulsus frequentior, dolor in pectore premens angensque et constans, inspiratio profunda non concessa, situs in dextrum vel sinistrum aut utrumque latus negatus. Nec *gastrica complicatio* rarius observatur regnante praeprimis genio bilioso, in male nutritis, muco copioso onustis, vermibus vexatis, habituali alvi obstructione, dentitione difficili laborantibus. Cognosces ejusmodi complicationem ex causa, anorexia, lingua spurcata, halitu foetente, ructibus, diarrhoea aut alvo obstipa, cephalaea gravante, albuginea oculorum flavente, morositate, delassatione majore aliisque signis gastricis. In subjectis tenellutis, habitus sic dicti nervosi *affectionibus spasmodicis aliis* facile complicatur pertussis. Demum ex nondum cognita epidemiae modificatione cum *morbillis, scarlatina, variolis* aliisque *febribus* exanthematicis, *catarrhalibus, rheumaticis, angina, parotitide, disenteria* componitur quandoque pertussis, aut fortuito *dentitione* complicata incedit, quae vero omnia facilius distinguenda in prognosin magis influunt. Praeterea pertussis vel *sporadica* est, vel *epidemica*, vel *endemica*. Dividitur etiam in *veram* et *spu-*

riam pro praesentia aut absentia soni peculiaris eju lantis. Vix confundentur pertussis cum asmathe Millari, a quo lenta et in septimanas protracta evolutione, tussi vehementi inspirationibus profundis sonoris interrupta, insultibus frequentioribus, duratione longa, expectoratione et vomitu sub finem insultuum, eoque facile distinguitur, quum epidemice plerumque grassetur. Nec, nisi sub morbo diutius protracto aut complicato cum illa confundetur tussi, quae phthisicis sub initium stadii phthiseos pulmonalis secundi supervenit, quae non raro admodum vehemens, totum concutiens corpus, affectionibus spasticis et spastica glottidis angustatione, nec non vomitu violenti juncta occurrit, hanc enim distinguunt respiratio difficilis, citata etiam sub tempore insultuum intermedio, gravedo, ardor, pressio ad pectus, vox rauca, decubitus in unum alterumve latus non concessus, sputa puriformia aut purulenta, febris depascentis symptomata, morbi praegressi, aegri dispositio.

Autopsia cadaverum.

In cadaveribus pediculi quandoque copiose repentes, genitalia tumentia, sanguine suffusa aut gangraenosa (Girtaner) observata sunt. Organa interna modo spasmorum, modo inflammationum vestigia ostendunt. Sic serum in ventriculis cerebri, venae illorum sanguine turgidae, trachea lympha coagulabili repleta (J. Frank), pars hujus infima leviter rubens, bronchi inflammati, gangraenosi, profunde vel ex atro rubentes, materia spumosa, puriformi admodum repleti (Marcus), larinx ac pharinx suppuratae (Astruc), glan-

dulae bronchiales admodum tumidae (J. Frank), serum in pericardio collectum, pulmones contracti aut aëre inflati, inflammati, cum pleura costali concreti (Henke), suppurati, diaphragma obiter inflammatum, pericardio adhaerens, incrassatum, firmius; hepar grande, in thoracis cavum propulsum (J. Frank), cystis fellea bile albida repleta (Girtaner); intestinorum colon transversum dilatatum, descendens angustatum (J. Frank); nervi vagi in cavo thoracis decurrentis rubor, nervi phrenici molliores et versus inferiora quidquam tumidi, nervus sympathicus magnus indeque enati splanchnici duriores, plexus coeliacus durior paulumque incrassatus inventa sunt (Hufeland).

Causae disponentes, excitantes, et morbi natura.

Dispositionem ad pertussim aetas praecipue offert infantilis, a 1. nativitatis anno ad 7. usque, rarius adulti, inter quos feminae frequentius, gravidae, puerperae, quam viri corripiuntur. In constitutione scrofulosa, irritabilitate corporis totius aucta singularem latere dispositionem observatio vix eruet, quum grassante epidemia infantes sine discrimine ejusmodi corripiantur, verosimilius vero visum est, irritabilitatem organorum respirantium auctam, qualem pneumoniae, morbilli relinquunt, ad pertussim disponere, quibus secundarias accessisse non raro observabatur. — *Causae occasionales pertussis in peculiari*, nondum satis nota *aëris et tempestatis constitutione*, praecipue humido frigida et variabili, *atque contagio sui generis* querendae sunt, hinc in plagis septemtrionalibus, littoribus maritimis,

hinc vere et autumno, praecipue dum pluvias gelidi excipiunt venti aquilonii, frequentius, hinc morbillis aliisque exanthematibus, affectionibus catarrhosis, rheumaticis succedens sociave invadere solet; quorum momentorum causalium priori exorta altero, sub epidemicae decursu generato latius propagatur. — *De natura* hujus morbi contagiosa vix non omnes consentiunt medici, atque eandem affirmantes sequentibus innituntur sufulcris: pertussim hominem adgressam omnem in morbum eundem delere dispositionem, hinc, velut alii morbi contagiosi solerent, nonnisi semel eosdem, hinc rarius homines obrepere adultos, nisi morbo ipso nondum exantlato, ut sub ejusdem primordiis visum, receptivitatem retinuerint; — pertussim omnibus ejusdem familiae, domus, urbis infantibus contagio per medicos aliosque, imo per animalia translato] communicari, ita quidem, ut, quam sequitur, via erui et demonstrari possit; — eundem grassari sub diversa immo opposita tempestate; — salvos tandem manere solicite reparatos. Huic sententiae eo magis assentire cogimur, quo magis quotidiana observatio eandem veram demonstret. Quod adversarii objiciunt: pertussim semel perpessos haud semper a contagione repetita tutos vivere, sub certa rerum positione de aliis quoque morbis contagiosis valet; quod de origine morbi et modificationibus ex aëris tempestatisque influxu epidemico affirmant, non negat, pertussim illis generatam contagione propagari. — Nec de *natura hujus contagii* hucusque penitus convenere scriptores. *Girtaner* ex typo pertussis tertiano, eoque, quod ipsa cum febri intermittente quandoque alternet, contagium illius cum pa-

ludum miasmatibus convenire contendit, verum notandum, in plagis febribus intermittentibus faustis omnibus fere morbis typum placere intermittentem. *Authenrieth*, qui per lympham, ex pustulis inunctione unguenti cum tartaro emetico provocatis desumptam, inoculationis ope pertussim generari opinatur, materiale huic supponit contagium, cui *Hufeland* * obsistit, affirmans, contagium istud non materiale, sed liberum esse irritamentum, nervos pneumogastricos et phrenicum afficiens, quos in pertussi defunctis, mutatos invenit, et quum ex nervorum istorum diramificatione et decursu symptomata pertussi peculiaria facilius sane explicentur, plurimi recentiorum huic opinioni nomina sua dederunt. Observationi minime absone putant, contagium hocce in secundo demum morbi stadio evolvi, latere in aegri exhalatione, minusque volatile esse, quam aliorum morborum contagiosorum, e. g. exanthematum contagium (*Haase*). — Haud secus de *morbi* ipsius *natura* multis, oppositisque hypothesibus pronunciatis, defensis ac refutatis adhuc sub judice lis est. Quod *Whatt* et *Marcus* de inflammatoria illius natura et cum *bronchitide* identitate cadaverum sectione seducti fatentur, de primo nonnisi stadio aut illius cum bronchitide complicatione haud minus rara quam perniciosa visa valeat. Oppugnant enim huic opinioni sequentia:

bronchitis	*pertussis*
incipiens remediis opportunis persaepe suffocatur,	sub therapia vel aptissima stadia sua absolvit,
tussis brevis, fere continua,	intervalla plurium horarum concedit,

* Bemerkungen über den Keichhusten (in dessen Bemerkungen über die Blattern. 2. Ausg. S. 484).

pectus continuo occupatum,	sub intervallis liberum (in morbo simplici),
vox rauca,	ejulatus sonorus,
febris et symptomata catarrhalia,	sub primo duntaxat stadio serius nulla in morbo simplici,
decursus rapidus,	lentus,
duratio brevis,	longa,
sputa copiosa,	parciora,
sporadice occurrit,	epidemice,
methodus antiphlogistica convenit,	sub primo solum stadio aut morbo composito, serius nervina, narcoticea magnum plerumque praestiterant effectum,
sanatio spontanea perraro contingit aut nunquam.	frequentissime.

Nec (*Huxhami, Stolli*) aliorum opinio, morbi sedem in ventriculo opinans arridet, quum symptomata gastrica sub pertussi saepe nulla, vomitus, in parvulis tussi accedens cuilibet fortiori, vix magni momenti, neque constans sit titilatio, pressio ad scrobiculum cordis, qui sensus ad bronchos saepe, aut tracheam percipiatur. Quodsi emetica quandoque conducere visa sunt, hoc sub certa modo rerum positione et morbo valet complicato. His perpensis naturam pertussis nondum ex omni parte notam credimus, hoc vero patet, morbum esse sui generis et determinati decursus, rebellem, contagiosum, sub stadio primo inflammationis aut irritationis, sub secundo affectionis nervosae, sub tertio demum debilitatis et relaxationis in organorum respirantium membranis characterem offerentem, partim influxibus epidemicis, partim contagio provocandum, ac plerumque unica solum vice infestantem. (Raimann.)

Prognosis.

Prognosis pertussis in genere certa statui vix potest, dependens nimirum ubique a patientis *aetate et constitutione, charactere epidemiae, genio morborum stationario, anni tempore, morbi compositione, complicatione et aegritudinibus forte sociis, a tussis ipsius vehementia et duratione, symptomatibus quibusdam, regimine diaetetico et therapia externisque circumstantiis pluribus.*

Quo junior est aeger, eo perniciosior morbus, infra annum plerumque lethalis. Secundum Culleni observationem infantes infra annum tertium raro evadunt, quod de epidemiis singulis valeat. Infantes tenelli, graciles, dispositione ad phthisin pulmonalem hereditaria, thorace deformi, pulmonibus per morbos praegressos debilitatis, tuberculis obsessis adfecti saepissime periclitantur. Robusti, plethorici primum stadium aegre sustinent, in adfectiones nervosas dispositi sub stadio secundo in discrimine versantur.

Character epidemiae saepe adeo lenis, ut sub regimine congruo absque medicamentis vix non omnes evadant aegrotuli. Narrantur vero et epidemiae, quae pestis emulae latas edidere strages, quales illae seculi XVI—XVII traduntur.

Quae autumno evasit pertussis, vere sequenti redire saepe visa est, hieme epidemice regnans periculosior, adventante aestate demum terminanda. — Lethalis praecipue pertussis morbillis, variolis quoque, minus scarlatina, scrofulis, rachitide complicata. Observatum contra in epidemiis singulis, variolas cum pertussi commercium aversari. Impetigines (scabies,

tinea, miliaria etiam) pertussi tela obtundere visae. Infantes affectionibus convulsivis expositi, vermibus vexati, dentitione, difficili praecipue detenti, quibusque pertussi bronchitis, pneumnia, encephalitis, hydrocephalus, febris nervosa accedunt, in majora discrimina conjiciuntur, suffocatione aut apoplexia haud raro tolluntur. — Quo vehementior morbus, eo majus sub insultibus periculum, quo diuturnior, eo certius mala posthuma timenda. — Quae empiria docet, sequentia sunt: morbus non periculosus est, cujus sub induciis longis aegrotulus bene valet, (etiamsi insultus ipsi vehementiores essent,) libere et profunde respirat, quiete dormit, appetitu gaudet normali, nec febri, nec alvo tenetur obstipa; contra quo fervidior febris, quo difficilior respiratio, eo pejus. Vomitus et sternutatio sub finem paroxismi plerumque fausta, (evacuantia nimirum mucum tenacem in bronchiis et trachea collectum) nisi priori nimio aut frequentiori necessaria nutritio retineatur. Expectoratio nimia haud secus ac deficiens mala, sic et diarrhoea mediocris bonam numeratur in partem, nimia debilitat, constatque et vulgo, iis insultus vehementiores accedere, quibus vomitus negatus et alvus obstipa sunt. Epistaxis modica sub primo praecipue stadio, in individuis plethoricis atque morbo in inflammationes proclivo bona, sub opposita rerum positione et nimia quaevis haemorrhagia mala. Quo magis sonora inspiratio, quo diuturnior frequentiorque succedens exspiratio, eo vehementius pleniusque periculo malum. Symptomatibus tussis subito disparentibus pneumonia instans timeatur. Oedemata morbo initiante displicent, serius vix terrent. — Quo aptius regimen

diaeteticum, quo faustiores circumstantiae externae, quo magis congrua therapia eo minus periculum morbi et v. v. Magna adhuc sub stadio tertio in recidivas pronitate gaudet pertussis. Faventibus itaque circumstantiis omnibus, laeta statuetur prognosis, pertussis enim sub phaenomenis (sub decursu morbi) adductis progredietur ad finem, nullis relictis organorum respirantium gravaminibus; atro vero ista carbone scribatur sub opposita rerum conditione, nam aut pertussis violens apoplexia vel suffocatione aegrotulos tollit sub insultu, vel vero sub induciis complicatione cum typho, morbillis pneumoniis in gangrenam transitum amantibus; aut diutius durans in dispositis scrofulos, rachitidem, hydropem ventriculorum cerebri, haemoptisin, phthisin purulentam, phthisin trachealem, asthma, dispnaeam, relinquit, sive insultibus vehementioribus strumam, distorsiones columnae vertebralis, costarum fracturas, hernias, prolapsus, in gravidis abortum; tandem cophosim, amaurosim, anosmiam, amnesiam, fatuitatem producit.

Therapia.

Quum pertussis sive sporadice, sive epidemice orta contagio latius propagetur, magni sane erit momenti, illius commercium evitare, receptivitatem expositorum imminuere, contagii vero concepti vires destruere veneficas. Hinc retineantur aut separentur sani ab aegris, et convalescentibus, evitentur vestes et utensilia infecta. Receptivitas erga pertussis contagium nullo hucusque noto remedio deletur aut im-

minuitur nisi morbo ipso; caveant tamen adulti et praepositi, ne infantes regiminis aut diaetae errores committant aut animi detineantur pathematibus, quamvis subitus terror remedium pro pertussi quondam habebatur (Thomas Villis). Nec vaccina, ut opinati sunt, contra pertussim tuetur. Fumigationes ex pice navali aut terebinthina respirationis organa irritando dispositionem augere magis quam contagium destruere valent. (Watt.)

Contagio itaque jam concepto, quum nec haec valida causa occasionalis, nec aëris tempestatisque conditio infausta amoveri amplius queat, indicatio proxima in morbi sanationem directa existat.

Vix alius existit morbus, cui tanta remediorum, non raro appositorum congeries opposita esset, manifesto sane signo, naturam hujus morbi nemini hucusque satis patuisse. Sub hac rerum positione ratio suadet docetque experientia multiplex, regimen diaetaeticum atque therapiam characteri sub stadiis singulis praedominanti, — inflammatorio, sive nervoso, sive debilitatis ac relaxationis adcommodare, morbum compositum aut complicatum simplicem reddere, symptomata nimis molesta aut periculosa, quousque licuerit, pacare, tandem recidivas et morbos praecavere secundarios. His licet omnibus expletis nunquam continget, morbum in medio jugulare cursu, qui ceu contagiosus stadia sua absolvit, quorum ante terminum aegrum quidem interficere sed neutiquam sanare poteris;“ (Frank) illud tamen obtinuisse certe juvabit, quod pertussis curriculum mansuetius ociusque absolvendo morbos secundarios rarius relinquens, nec faci-

le recidivans, in sanitatem sit transitura. Sub initio morbi, praecipue si fuerit simplex, rarius ad aegrotulos vocatur medicus, quum adstantes leviorem aestumantes catarrhum, morbum aut intactum negligunt aut remediis domesticis, qualia in tussi catarrhali, quandoque inepte, laudantur, adgrediuntur.

Stadio morbi simplicis primo regimen diaeteticum et therapiam eadem, ac febri catarrhali opponimus. Sit diaeta tenuis, victus vegetabilis facilisque digestu, aër ab omni alieno admisto liber, purus, temperatura media diuque noctuque aequabilis, animus corpusque quieta. Medicamenta et potulenta opponantur emollientia, pacantia, mucilaginosa, infusa et decocta ex Verbasco, Althaea, Salep, hordeo mundato, oryza, emulsiones amygdalinae, quibus stadio hocce ad finem inclinante, tepide sumendis lenia diaphoretica, infus. flor. Samb., flor. Tiliae, Roob Samb., Spirit. Mindereri, Ipecacuanhae doses parvae, pulveris Doweri species ex Ipecacuanha et Hyoscyamo, addantur, quo et tempore aegrotulos in lecto servari juvabit. *Si* vero hujus stadii *febris inflammatoriam,* praecipue ad bronchorum aut pulmonum inflammationes proclivam *se manifestat,* (sub pertussi sthenica, ut ajunt) pro febris ipsius intensitate modo hirudines pectori adplicandae, modo venesectiones nequirentur, nisi fors haemorrhagiae spontaneae sufficientes illarum vices expleverint. Venesectionum tamen, immo hirudinum applicationis indicatio ingeniose eruatur oportet, omneque nimium hic eo magis nocebit, quo magis succedens stadium nervosum, ut feliciter superetur, requirit vires. Tenella aegroti aetas ab indicatis non abs-

terreat. Medicamentis mucilaginosis, emulsis, solventia addantur antiphlogistica, Nitras lixivae, sales neutri mitissimi, cremor tartari, tartras lixivae, Sal Seignetti, sive dosi refracta, sive plena, Manna, Tamarindi, pruna, gramen, adhibeantur pediluvia, balnea, clysmata emollientia, cautius Sinapismi. — Denique *sit morbus simplex duntaxat et unus*. Si itaque pertussis symptomatibus gastricis juncta incedit, diaeta restricta, curam pro re nata modo solventibus incipies, decocto graminis, extracto gram. oxymelle, salibus supra nominatis neutris, et eccoprotivis vegetabilibus, sale ammoniaco, solutione tartari emetici dosi refr., urgentibus vero sive per vomitum sive alvum evacuationibus, iisdem remediis dosi plena adplicatis, clysmatibus emollientibus, aut si tubus intestinalis languet, vermes adsunt, Rheo, calomele. Ubique tamen cavendum ne evacuantibus phlogisticis et fortioribus tubi intestinalis oriatur irritatio major, aut evacuationibus nimiis frangantur vires, augeatur irritabilitas. Erant tamen, qui in purgantibus specifici quid, praecipue in stadio morbi secundo quererent. Rectius Girtaner: Abfuhrungsmittel sind gegen den Keichhusten äußerst schädlich. — Man hat viele Beyspiele, daß nach dem Gebrauche der abführenden Mittel die Krankheit tödtlich geworden ist. Si muci tenacis impeditur ejectio, solutionem tart. emet. refracta, sive plena dosi, Ipecacuanham dos. plena aliquoties de hebdomade, salem ammoniac., oxymel simpl., aut Scyllae, Scyllam ipsam, sulf. aurat. Antim., et aptas harum combinationes, minus vero olea, mucilagines, syrupos emulsa adhibebis, ventriculum gravantia, appetitum prosternentia, digestionem debilitantia, al-

vum obserentia. (Girtaner.) Nec pediluvia et balnea universalia hic praetervidenda, quorum, praecipue stadio hocce ad finem vergente, tum in secretionem cutaneam tum ad moderanda symptomata spastica egregia est virtus, nec facile concipitur, quomodo ex illis, debita cautela institutis, tussis augmentum timeri possit. Si quod in debilioribus, tenellis, sensilioribus quandoque fit, sub hoc jam stadio symptomata accederent spastica, balnea, enemata ex infus. flor. Chamomil., rad. Valerianae, cum Assa foetida, flor. Zinci, magist. Bismuthi, Moschum melius tutiusque adhibebis, quam narcotica fortiora, inprimis opium, quod expectorationem, vomitum, alvum retinendo, congestiones ad caput augendo morbum exasperaret.

Sub stadio secundo pertussis ceu morbus spasticus cum eminente affectione membranae mucosae, organa respirationis et digestionis obvestientis tractetur oportet. (Raimann.) Hinc diaeta minus restricta sit, cibi concedantur animales, pinguedine destituti facile digerendi, lac, juscula non pinguia, embammata, aut vegetabiles non inflantes. Sit tamen coena frugalis. Quo magis paroxismi vomitu terminantur, eo frequentius, sed parcus concedatur victus. Nec necesse aegro decumbere lecto, imo anni tempore et tempestate faventibus libero gaudeat Jove. Caveat tamen refrigerium. Curentur nunc, praecipue juniores, ab adulto experto, qui accedentibus paroxismis corpus aegrotuli apte suffulciat, praecaveat lapsum, atque mucum tenacem, suffocationem quandoque minantem, digiti cauti auxilio ex ore extrahat.

Praenotandum, sub hujus stadii initio febrim in-

flammatoriam, imo affectiones organorum respirantium inflammatoriae gradus quandoque altioris saepius adhuc observari; quodsi accideret, methodum antiphlogisticam mitioris aut intensioris etiam gradus continuandam esse ultro patet. — Praevalente vero, quod sub principio stadii secundi rarius obvenit, affectione nervosa absque debilitate universali, pro re nata modo narcotica inserviunt, qualia laudantur extractum Hyoscyami, Cicutae, Belladonnae radix, aut ejus extract.; aut folior. infus. aqua Laurocerasi, Ledum palustre, Lactuca, pulv. Doweri, cautissime opium; modo, praeprimis stadio hocce magis provecto nervina excitantia, ex quibus Valeriana, Moschus (dosi magna, sive et moschus artificialis), Castoreum, flor. Zinci (Sal C. C., spirit. C. C., spiritus Sal. ammoniaci aquosus Jahn). Assa foetida interne (si sumitur ab aegris) et in clysmatibus, balnea. Horum remediorum quodvis fere suis gaudet decantatoribus illud specificum et vix non sub omni stadio et ratione salutiferum laudantibus. Hinc de nonnullis planius quidpiam dicendum opinabamur. *Opium* cum debita circumspectione adhibitum egregios hic edit effectus, efficit enim insultus rariores, breviores, leniores, somnum quietum, promovet secretionem cutaneam, imminuit aut tollit vomitum excedentem, auget appetitum, roborat digestionem, consopit diarrhaeam, convulsiones. Sollicite vero respiciatur sub hujus usu status capitis, ad quod alioquin sub tussis insultibus major est sanguinis congestio. Eligantur itaque induciarum spatia atque dosi porrigatur minima (infantibus infra annum ¼ guttae, a 4—6 annos 4—6 guttae tincturae opii). Prae-

scribitur in decoctis mucilaginosis aut infusis vel aquis aromaticis cum syrupo, mucilagine, aut sola cum oleosacharo, etiam cum infuso levi rad. Ipecac., vino antimon. Huxhami pro exactiore indicatione in individuis singulis; praesente debilitate universali majore et morbo ad finem vergente cum Chinae extracto, infuso, decocto. — Vix minori laude dignum *Hyosciamus*, cujus extractum infantibus a 1—3 grana per diem sive solum, sive cum parva Ipecac. dosi in speciem pulveris Doveri nuptum, aut cum vino emetico Huxhami porrigitur. Sic et in puero in clinico nostro pertussi tractando, ab hujus remedii *dosibus parvis* ($\frac{1}{3}$ gr. omni trihor.) egregium vidimus effectum. — Maximas sibi laudes promeruit *Belladonna*. Schaeffer ejus radicem exhibuit mane et vesperi dosi tanta, donec narcoseos phoenomena in conspectum venirent, adhibitis simul emeticis, purgantibus, clysmatibus et infrictionibus. Tutius videtur Jahn praescriptum, qui gr. X—XX. folior. in III—IV. unc. aquae infundit, hujusque colaturam dosibus caute augendis, donec levis oriatur vertigo, propinat. Haud minorem tamen ac opium et hoc remedium cautelam sibi exposcit, quum sanguinem ad encephalon adeo congerat, ut cel. Goehlis post illius usum hydropem ventriculorum cerebri ortum observaret. (Henke.) Henke radicem Bellad. a $\frac{1}{3}$ — 1 gr. cum sulf. aurat. Antim. dosi eadem cum fructu adhibuit. — Extractum *Cicutae* a Jahn praecipue tum laudatur, dum glandulae lymphaticae simul tumidae, obstructae vel et induratae, aut impetigines adsunt. Dosis sit inter $\frac{1}{8}$ — $\frac{1}{4}$ gr. ter de die. — Huc et extractum *Pulsatillae* nigricantis, *Lactucae* virosae, *Nico-*

tianae; Sedum palustre, nux vomica, aqua Laurocerasi, Dulcamara etc. pertinent, quorum virtus observationibus singulis nondum satis agnita existit. — Nec quae a D. Thiel *acido muriatico* ceu contra pertussim summe specifico omniumque tutissimo remedio tribuitur laus ingens, experientia aliorum probata est. — Si, quod sub initium hujus stadii et finem plerumque fit, muci tenacis secretio eminet, magno cum fructu porriguntur emetica, quorum inter usum haud raro repetitum remedia adhibentur mucum solventia et specifica actione in membranas mucosas praedita, ut sal ammoniacus, sulfur aurat. Antim., oxymel Scillae, tart. emeticus dosi refracta, infus. Senegae; sub laxitate majori Gummi ammoniac. (resina Quajaci nativa, Calomel), hepar sulfuris salinum a gr. V—X mane et vesperi cum melle. Quodsi vero status nervosus et secretio muci pari passu incedunt, remedia statui utrique convenientia apte jungantur; e. g. extract. Hyosc. cum sulf. aurat. Antim., hoc cum Moscho etc. (Raimann.) — Haud minor est *remediorum externorum* contra pertussim maxime laudatorum acervus. Approbata commendantur varia *derivantia: vesicantia* scrobiculo cordis aut inter scapulas adplicanda, *sinapismi* ad suras, *pediluvia* irritantia inditis cinere aut farina seminum sinapis, *clysmata* leniter irritantia, *inunctiones plantarum* pedum *succo Allii* aut *Cepae* expresso, aut *tinctura Cantharidum*, inunctiones *unguenti Authenrithii.* — Authenrieth hujus unguenti ex axungiae porci partibus octo, tartari emetici una cum dimidia compositi (proportio tart. emetici minor non sufficere dicitur), inunctione pertussim absque omni remedio interno,

quasi per metastasim critivam artificialem sanari affirmavit, eamque ipse in duabus epidemiis adeo felici cum successu sanavit, ut ne unus quidem aegrotulorum obiret. Quod vero ut obtineatur, unguentum nominatum magnitudine nucis avellanae ad regionem ventriculi aut scrobiculum cordis ter de die eo usque inungatur, donec vesiculae in loco inunctionis institutae enatae in pustulas variolis veris maturis similes, atque hae in ulcera plana, marginibus quidquam elatis cincta, latius proserpentia et utcunque, sed brevi dolentia abiverint. Ulceribus hisce evanitis cicatrices, a variolis relictis similes ceu sola hujus medendi methodi incommoda remanent. Quae eodem ipso tempore cum pustulis ad locum institutae inunctionis in genitalibus utriusque sexus oriri dicuntur pustulae humectantes, multumque gravantes, quasque J. Frank a fortuita unguenti translatione derivat, ultro exsiccantur, hinc exigui momenti sunt. Alii vero loco, quam scrobiculo, inunctum unguentum non sanat, quod ab irritatione adhaesionum diaphragmatis, sub pertussi valde patientis, ad sanationem necessaria derivatur. Sub hocce tractamine pertussis intra 10—12 dies absque omni alio manifesto phaenomeno critico tollitur, ea quidem ratione mira, ut insultus rariores quidem redeant, verum si vehementiam eorum respexeris, ultimus haud minor sit, ac quivis sub acme accedens. Pertussi sic penitus abacta, aut ulceribus magnitudinem unguis digiti minimi adultorum adeptis, exsiccari curentur, quodsi non fit, si contra increscunt et dolent, fomentis ex decocto saturato Cicutae tractentur. Effectus hujus tractandi methodi a multis iisque

expertissimis medicis tantis effertur laudibus, ut ubi sensilitas infantis nimis tensa, aut inepta matrum misericordia non obstat, in pertussi simplici, praecipue ubi remedia interna respuuntur, ad ejusdem imitationem urgeamur. *Tinctura Cantharidum* sub diuturna pertussis duratione, magna laxitate, minore irritabilitate et secretione muci tenacis copiosa, minime vero sub statu plethorico ad inflammationem prono a gutt. 1—3 bis terve de die cum oleosacharo et mucilagine, gummi arabico, seu absque seu cum dosi parva opii, aetati et individualitati congrua. In hanc remediorum seriem et *balnea* universalia cum sapone, ex lacte et serius ex infusis aromaticis, *cataplasmata* calida pectori imponenda, praecipue in adultis, *inhalationes* vaporum emollientium, serius leviter aromaticor. *infrictiones* remediorum antispasmodicorum ad pectus, *emplastra* aromatica e. m. a. numerantur.

Stadium tertium, sub quo nimia organorum respirantium irritabilitate recedente secretio muci bronch. augetur, si tramite regulari decurrit, ad methodum medendi roborantem, nutrientem sensim transimus, remedia amara, *Lichen* Islandicum, *Chinam, balnea* simplicia, seu leniter aromatica, nutrimenta facile digerenda mitia, largius nutrientia, aërem purum, calidum, cerevisiam amarescentem, vinum suadentes. Si vero, quod saepe fit, pertussis insultus sub hoc stadio continuant, muci nimis tenacis expectoratio gravatur, remedia sub stadio praecedente nominata quoque continuentur, praecipue Antimonialia dos. refr., hepar. sulf. salinum, Ipecacuanha, Hyoscyamus, opium, horumque apta conubia, inhalationes emollientes, bal-

nea. Si in subjecto torpido, minime irritabili muci secretio excedit, expectorantia magis irritantia conveniunt, Scilla, Ipecacuanha, tart. emet. dos. refr. et plena, Kermes min., Assa foetida, Spirit. sal. ammon. vinosus, anisatus, et hic praecipue Cantharides qua derivans ad organa urinalia. Si tandem vires aegri ad imum delapsae sunt, atque nimia muci secretio debilitate et laxitate sustinetur sicque phthisi minatur pituitosa, tonica adhibentur, Lichen, cortex, qua infusum, extractum, tinctura, quum praeparata fortiora vix ferrent aegrotuli. Si *morbus*, quod diaeta et regimine justis potissimum praecaveri potest, *recidivus* factus est, eadem, quae pertussi in genere convenit, medendi methodus opponatur, verum debilitas a morbo praegresso relicta bene respiciatur, et recidivo evanido, ad tonica mox transeatur. *Morbi secundarii* pro natura sua et gradu curentur.

Theses.

1. Natura pertussis nondum penitus cognita est.

2. Pertussis non est bronchitis epidemica.

3. Cura nimis actuosa in pertussi, uti in omnibus morbis infantum nocet.

4. In arte obstetricia methodus exspectativa praecipuum sibi vindicat locum.

5. Insignis est religiositatis medici in morbos sanandos influxus.

6. Non nisi mors insecuta vulnerum lethalitatem determinat.

7. Medici curantis primum sit: non obesse, alterum, prodesse.

8. Caloris animalis fontem in pectore perperam quaeres.

9. Ganglia nervorum voluntatis ac sensibilitatis vim infringunt, irritabilitatem augent.

10. Ossifationem omni in casu non praecedit inflammatio.

11. Matrimonium moralitati prodest.